

AQUA REGIA.

R. Salis Ammoniaci pulverati, . . . uncias quatuor.
 Aquæ fortis, seu Spiritus Nitri, uncias sexdecim.
 Immitte in matrarium vitreum amplum, ac digere ad
 integram Salis solutionem, decanta, & serva.
 Ad solvendum aurum deservit.

SPIRITUS ACETI.

R. Aceti accerrimi, . . . quantum volueris.
 Mitte in cucurbitam stanneam aut vitream, ca-
 pitelo, & receptaculo instructam; distilla ex arena partem
 tertiam (quæ phlegma est) seorsim servandam; ulterius dis-
 tillatio continuetur, usque liquor stillans empyreumaticum
 spiret odorem.

Putredini, ac nimia humorum colliquationi resistit:
 in febribus malignis ac pestilentialibus usurpatur; refrige-
 rat, & sitim sedat.

Dosis à drachmis duabus ad unciam unam.

CAPUT VII.

DE OLEIS DISTILLATIS EX HERBIS, ET FLORIBUS
 AROMATICIS.

OLEUM ABSYNTHII.

R. Herba Absynthii incise, seminibus onusta, . . .
 quantum placet.
 Aquæ fontanæ ad super eminentiam digitorum quatuor.
 Digere per biduum, deinde fiat distillatio per Alembi-
 cum magnum, cum suo refrigeratorio, vel per vesicam cu-
 pream, suo cum operculo, & rostro oblongo in spiras con-

voluto, per frigidam aquam transeunte: Oleum cum aqua elic-
citum separetur per infundibulum, vel *Vitrum separatorium*
dictum: Aqua ab oleo separata ad novam distillationem ser-
vetur: ac Oleum in vase ritè obturato usui asservetur.

Calefacit, roborat, flatus dissipat; lumbricos necat, ac
vomitum cohibet.

Dosis à guttis quatuor ad sex.

Pro usu externo in Unguentis stomachicis, & aliis ap-
propriatis miscetur.

Eodem modo parantur Olea
Menthæ, & similia.

OLEUM ANISI.

R. Seminis Anisi contusi, . . . quantum libuerit.
Aquæ fontanæ, . . . sufficientem quantitatem.

Infunde, & macera per dies aliquot, postea distilla per
vesicam, suo refrigeratorio, & receptaculo instructam. Re-
frigeratis vasis, oleum ab aqua separetur, usuique servetur.

Flatus dissipat; pectoris affectibus, & colicis doloribus
mirè succurrit, ventriculi concoctionem adjuvat, ac ventris
tormina, à causa frigida orta, sedat.

Dosis à guttis duabus ad scrupulum unum.

Aqua spirituoſa essentialis idem præstat, sed minore cum
efficacia.

Dosis ab uncia una ad uncias duas.

Simili modo distillantur Olea
Seminum Fœniculi, & similia.

OLEUM CARYOPHYLLORUM.

R. Caryophyllorum contusorum, . . . libram unam.
Aquæ communis ferventis, . . . libras duodecim.

Macerentur in vase benè cooperto per quindecim dies;
dein distillationi committe, in vesica cum Alembico, & ser-
pentina instructa, igne nudo ad liquoris medietatem. Oleum

postea ab Aqua spirituosa separetur, usuique reponatur.

Ventriculum corroborat; cephalalgia, vertigini, & similibus succurrit affectibus; febribus intermittentibus, à puita, flatulentisque humoribus deductis, prodest: sudores etiam movet.

Dosis à gutta una ad quatuor. Externè applicatum, dentium mitigat dolores.

Aqua spirituosa essentialis ad idem valet.

Similiter distillantur Olea

Cinnamomi, &c.

OLEUM CORTICUM LIMONUM.

R. Corticum exteriorum Limonum, quantum placet. Incidantur, ac macerentur in sufficiente Aquæ quantitate per biduum in vase optimè clauso: dein in vesica suo Alembico, & Serpentina instructa, distilla: Oleum ab aqua separetur, & utrumque usui servetur.

Stomachum roborat; appetentiam excitat; flatus discutit, & colicis doloribus proficit.

Dosis à guttis duabus ad sex. Aqua essentialis idem præstat ab uncia una ad duas.

Eodem modo parantur Olea

Corticum Aurantiorum, & similibus.

OLEUM MYRRHÆ PER DELIQUIUM.

R. Ova ad duritiem cocta, & per medium secta. Vitelli eximantur: tum albuminum Myrrhâ trita cavitates impleantur, ac denuò eorundem jungantur partes, filoque levitè compressæ, & sic paratæ, immittantur in pannum lineum, & filo appensum in cella, vel humido loco subterraneo, in paropsidem Myrrhæ liquatus humor distillabit. Vulnerarium, & anti-hystericum est.